

etiam dici possit. Internâ parte circâ os tantùm brevibus striis connectitur dentium vice; reliquâ cavâ, levi.

§. 4. Ex hujusmodi, Conchæ in Montanis obrutæ, atque temporis diuturnitate corruptæ, terrâque illâ in saxeam naturam versâ, lapides illi, Cordis figuram æmulantes, construuntur, cayam Conchæ partem replentes, quos vulgo Bucardia vocant: quorum plures apud nos varietates, juxta Concharum & locorum differentias, effigie, materiaque provenientes videre licet; quamplurimas apud Imperati Museum amplissimum.

## CAPUT XII.

*Concha rarior Anomia, Vertice rostrato.*

§. 1. **A** Nomias Conchas illas esse dicimus; quarum altera pars cohærens aliquomodo, ab alterâ, Effigie aut magnitudine, aut utroque modo differat. Αὐόμιος, siquidem contrarium est Verbi ὄμοιος, quod est, *Similis, Par, Aequalis*; scilicet *Disimilis, Impar, Inaequalis*. Ideò inter cæteras notas à Plinio (f.) memoratas, quibus Concharum varietates distinguit, plurimas, cum Inaequalitatis Notam non invenerimus, Anomias Conchas appellare libuit; vel Plinii more illas, *Vertice Rostrato* dicere; quarum etiam Differentiae sunt plures.

(f.) *Loco antè-cit.*

§. 2. Nunc de hâc in Civitate Andriæ repertâ, verba faciemus: in quo Loco si quis curiosior perquirere vellet illas etiam Rariores, non paucas inveniet adhuc incognitas & invisib[il]es: Naturamque in his est formandis multùm lusisse animadverdet.

E 3

§. 3